Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

inpenitens. Desperatio est qua quis penitus diffidit de bonitate dei, putans suam maliciam divinam bonitatem excedere, sicut Caym. Quod peccatum dicitur non remitti, non quia non sit ignoscendum peccanti si peniteat, sed quia tanta labes est illius peccati ut deprecandi humilitatem subire non possit. Unde recte Iohannes dicit: Est peccatum ad mortem, quasi perdurans; non pro eo dico ut quis oret. Quia qui sic peccat orationibus ecclesie hic vel in futuro iuvari non potest. Quod autem dicitur est peccatum in patrem et in filium et in spiritum sanctum, non sic accipiendum est quasi utrarumque personarum offensa dividatur, sed ubi tria genera peccatorum, non tamen omnium, distinguimus, duo remissibilium, tertium irremissibilium. Peccare enim in patrem cui attribuitur potentia, est peccare per infirmitatem. Peccare autem in filium cui attribuitur sapientia, est peccare per ignorantiam. Et hec duo remissibilia sunt. Tertium autem quod irremissibile est expositum est.

De venialibus peccatis.

aug. Sunt autem et venalia peccata, id est levia, que tamen penam temporalem merentur. Hec autem per ignorantiam vel oblivionem vel subreptionem vel necessitatem vel fragilitatem carnis cotidie invitis vel nolentibus frequenter committuntur. De his dicitur: Iustus septies cadet, id est frequenter peccabit. De levibus enim peccatis hoc ait Salomon. Sunt quibus hec vita non ducitur, in quo propter nimiam caritatem statim commissa dimittuntur. Unde ibidem subditur: et surget. In minus autem perfectis levi penitentia opus est. Sufficit enim dominica oratio et mutua confessio. Alioquin post mortem gehennam, sed dimittuntur si bonis actibus in vita promeruit homo ut ibi dimittantur.

De potentia peccandi.

Deinde sciendum a deo est quod sicut memoria et intelligentia mali a deo est, ita quoque et potentia mali. Unde augustinus: Nocendi voluntas potest esse ab hominis animo, potestas autem non nisi a deo. Ideoque diabolus antequam quicquam tolleret iob ait: Mitte manum tuam, id est da potestatem. Que omnis ut apostolus ait a deo est. Unde qui resistit dei ordinationi resistit. Ne autem per hoc videatur diabolo vel alicui tyranno resistendum esse non, sciendum est quia tunc resistere non debemus cum potestate non abutitur. Unde et ibidem dicitur: dei ordinationi resistit. Vir enim iustus si sub rege sacrilego militet recte illi obediet si quod iubetur non esse contra preceptum dei certum est vel utrum sit certum non est. Quod si potestate quis abutitur, scilicet contra dei voluntatem iubens, tunc ei parendum non est. Quod augustinus per gradus rerum humanarum probat. Non enim parendum est curatori si contra proconsulem iubeat, nec ei si contra principem.

Sr gen.

a. 3 manicheos